

Franciscus.

De variis  
Latinæ Linguae  
aetatibus

1722.








JOH. NICOL. PYNETTI

LIBER ANNOVAE

PROGRAMMA







20  
125  
IOH. NICOL. FVNCCII  
MARBVRGENSIS

DE

VARIIS  
LATINAE LINGVAE  
AETATIBVS

ATQVE

FATIS

(DEO VOLENTE)

SINGVLIS TRACTATIBVS EXHIBENDIS

PROGRAMMA.

Ab 2018.





IOH. NICOL. EVANGELII  
MARBURGENSIS

DE

VARIIS

LATINAE LINGVAE

AETATIBVS

ATQVE

FATIS

(DEO VOLUNTATE)

SINGVLIS TRACTATIBVS EXHIBENDIS

PROGRAMMA








## CONSPECTVS.

### §. I.

**R**atio & lingua hominibus, summo Creatoris beneficio, data est, quae brutis animalibus negatur: 2. Licet nonnemo istis animam humanae menti analogam & 3. Linguam tribuere ausus sit. 4. Hominum, ratione intellectus atque vocis, praestantia describitur: 5. Quam ipsa Linguarum cultura probat. 6. Eius exemplum, ut in aliis, in Latina lingua evidentissimum haberi; modo respicere velimus ortum, progressum atque fata, 7. Suo merito omnibus commendata. 8. Auctores recensentur, qui L.L. historiam descripserunt; 9. Methodo alii atque alii diversa: ita ut L.L. aetates videamus aliis fuisse priscam, Latinam, Romanam, & mixtam; 10. Aliis antiquissimam, antiquam, perfectam & imperfectam; 11. Aliis vitae humanae congruas, pueritiam, iuventutem, virile robur, senectutem eamque vegetam, atque inertem; 12. Aliis auream, argenteam, atque ferrream. 13. Ad fata Latinae linguae in aetatibus suis, vitae humanae comparatis, describenda novus ordo, 14. Vicissitudines eius apprimè dilucidans proponitur. 15. Quo ductus ordine, sibi Auctor, subcisivis horis, de variis Latinae linguae aetatibus atque fatis, dato specimine uno atque altero, haud frustra commentaturum persuadet.

A





## PROGRAMMA.

§. I.



Rga diffusum isthoc & universo terrarum orbe propagatum genus humanum, tanta summi Numinis Beneficentia est, ut inter tot tamque varias creaturas, id solum rationali decorauerit anima, ipsique, ceu quid peculiare, loquelam, eam certis quibusdam sonis signisue intellectum comprobandi, & animi sensa clare ac distincte inuicem testandi facultatem dederit. Multa magnifica & praeclara abs Deo Parente & Sospitatore nostro nobis tributa videmus; verum hoc nihil excellentius aut illustrius, quam quod nos creaturas suas omnium esse nobilissimas, ad ipsam imaginem suam conformatas, eaque, propter nos, modo admirabili & profus stupendo, articulata voce, ut inuincibili rationis argumento, citare voluerit. Gaudemus, quotquot terraqueum globum inhabitant



inhabitamus, licet pro climatis diversi ratione diversa, coeli solique frugalitate ac temperie. Sostentat alitque magna mater Terra homines ad universum sua conditione omnes: Sed nutrit hac eadem, nec minori bonitate, etiam feras & millena bestiarum genera alia. Excellimus variorum sensuum usu: excellunt atque istis, prae hominibus saepe, animalcula abiectissima. Et si de vestitu, pristini testimonio peccati, splendentis habitationibus diuitisque multum gloriari velimus; probatum id fecerit, quanto, superbientes de rebus adeo leuibus & vanis, haud raro nosmet ipsos brutis inferiores reddere non vereamur. Enim vero nihil praestantius, nihil quod laudibus, vel admiratione, magis efferri mereatur, Arbitri rerum omnium maximi beneplacito, mortalibus esse tributum videmus, quam quod rationali & proinde immortalis anima exornati valde sublimia meditari, iudicare, de rebus quibuslibet sentire, & quae sentiunt eloqui, congenito quasi & naturali instinctu proferre, significare aliis atque dicendo exprimere valeant. Ut adeo sola lingua & quae hujus gubernatrix est, rationalis anima cuique sua testetur, eum vel praestare, vel partis esse minimum suae, omni & nisu & opera studeat praestare caeteris animalibus, quae natura prona & ventri obedientia finxit.

## §. II.

Fuere quidem ac sunt etiamnum Viri docti, qui Brutis Animalibus ipsis rationem, aliqua ex parte animam & spiritum quendam humanae menti analogum vindicare non dubitarunt. Agmen ducit ipse PLUTAR-



CHVS, a) qui ea opinione dicitur non abluisse à veterum Philosophorum placitis, praeter dogma *μετεμψυχώσεως*. EMPEDOCLES quoque Brutis & Plantis rationem diserte vindicasse memoratur SEXTO EMPIRICO, b) qui & probabiliter id asseri omnino censet. *Namsi est eis, inquit, quae profertur oratio, necesse est etiam, eis inesse internam rationem: nam sine ea non potest consistere, quae profertur, oratio.* Accedit PORPHYRIUS c) qui hoc imprimis argumento, Bruta nixu hominum ab esu absterri, contentit, parem illa nobiscum rationem habere. E recentioribus duos nomino, HIERONYMVM ROZARIVM d) & IENKINVM THOMASIVM Britannum: e) quorum ille superiori & quod praecessit, hic nostro seculo, uterque mole exiguis quidem opusculis, sed maximo sermonis nitore

a) Ille scripsit peculiarem librum sub forma dialogi, *de solertia Brutorum*, quo de industria id argumenti tractat sibi quae obiectioes soluere videtur. b) De Philosophia lib. 2. c) Libro *ἠθικῶν*. d) Hic libris duobus operose conatur adstruere, *quod Animalia Bruta ratione utantur melius homine*. Postumum id Cl. Auctoris scriptum GABR. NAVAEVS Romae invenit ac luci dedit publicae, primo Parisiis 1645. deinde Amstelodami 1654. 12. impressum. e) Tractatum THOMASIVS ille scripsit Philosophico-Apologeticum *de Anima Brutorum*, quo asseritur, eam non esse materialem, contra Cartesianam imprimis & vulgarem Theologorum aequae ac Philosophorum opinionem. Altorfi Noricorum 1713. 8. Cui etiam Cl. BAIERVS Professor Altorfensis scripta praefatione assentit testaturque, inter multiplices Eruditorum de Anima Belluarum sententias, nullum vel naturali hominum iudicio accommodatiorem, vel ad evolvendas, actionum istorum animantium rationes expediatiorem esse ea, quae spiritu quodam humanae menti analogo regi bestiarum corpora statuit.



nitore & ingenio, data opera belluis animam, non eam materialem, qua de consentiunt Philosophi, sed rationalem & humanae certo respectu exaequandam adscribere annisus est.

## §. III.

Sicuti belluarum dignitatem, non sine mentis humanae opprobrio, multis evehere allaborarunt; ita etiam secum inuicem Bruta colloqui & genere quodam sermonis sua sibi cogitata mutuo significare, probatum iuerunt. Ut adeo nemini mirum videri possit, quod Apollonius Thyanaeus passeris collocutos intellexit: f) cum etiamnum homines gloriari vix erubescant, haec & alia quidni & tussiculosos percepisse pulices. Sed risum nunc non desidero. Reuera non solum bruta sermonis humani capacia esse, variis illorum apophthegmatibus euincunt; g) verum etiam ista nobis praestare loquela naturali sua: utpote quae promptius & forsan felicius cogitationes sine interprete communicent, quam ulli valeant mortales, praesertim si peregrino sermone uterentur. h)

## §. IV.

Isthanc vero controuersiam meam non facio: Quandoquidem ratione & quotidiana experientia constat,

A 3

in

f) Vid. PHILOSTRATVS in vita Apollonii. g) Vid. modo laudatus IENKINVS THOMASIVS de Anima Brutorum §. 2. & 3. Conf. LOCKIVS de intellectu humano p. 409. DRECHSLERI Disseratio historico-physica de Sermone Brutorum. ERASMI FRANCISCI Iustige Schaubühne tom. 1. pag. 11. seqq. PETRI LAVNAEI Theatrum mundi minoris lib. 1. CAMERARII Hor. subcis. passim. Alii. h) Vid. ISAACVS VOSSIVS de viribus rythmi pag. 66. Confer. MORHOEIVS Polyhist. liter. lib. 4. c. 1. §. 3.



in animalibus brutis praeter brutum instinctum & actiones, quas ipsa non intelligunt, ne hilum quidem inueniri, mentis quo vires ac habitum vel etiam aliquatenus linguam ostendant: licet in omni affectu certas vocis notas exprimere videantur. Ut alia nunc taceam absurda eorum, qui rationalia cum mutis *i)* & irrationalibus, si non coaequare, saltem confundere, & nescio quid tandem utrisque vel affinitatis, vel incongruae cognationis adscribere volunt. Certe solus homo ille primitus ad summi Creatoris imaginem efformatus, quem ideo Spiritus S. *k)* vetat esse ad instar muli & equi expertium intelligentiae, in omni societate & conversatione sono articulado proprium sermonem illum cogitationis testem profert. Omnium, quotquot isthac terrestri vita gaudent, creaturarum solus homo rationem pro fundamento habet, uti singula animi meditata sensaque, vel quicquid est, distincte & pro lubitu eloquatur. Solus homo a DEO T. O. M. facultatem & intellectum accepit: ut cuiusque aspectabili pro natura vel substantia sua nomen indiderit & diversa quodlibet appellaverit voce. Hinc istud summum summi Numinis Beneficium &, quod in nos creaturas suas ponere gratiose voluit, miraculum considerando assequi satis, ceu in ecstasi, non valemus, quid, vel quomodo fieri possit, ut omnia mentis cogitata vario eoque tremulo lingua

---

*i)* *Mutus* onomatopœa est incertae vocis, quasi mugitus. Nam mutus sonus est proprie, qui intellectum non habet. Vnde NÆVIUS: *Ducito eo cum argutus linguis mutas quadrupedas.* Apud NONIUM MARCELLVM cap. 1. n. 29. *k)* Psalm. XXXII, 9.



quae cum laborum motu & aëris vibratione proferantur, & cum aliis methodo facillima communicari queant.

## §. V.

Pereximia porro Animi dona arguunt & artium & linguarum incrementa, quae post dispersionem populorum, toto orbe, dialecto primum, deinde oratione integra variante, sensim sine sensu politiozem induebant habitum: ut amplissimam nunc mentis humanae facultatem, cum vocabulorum & figurarum dulcissuarum copia, magis tamen in aliis, atque in aliis nationibus, suavissima consentiente Musa, demonstrare sufficienter possint. Neque solummodo nunc una dicendi ratio vel lingua mortalium animos occupat, cum patria una cuique sua & nativa sufficiat vernacula; Sed exoticarum quoque studium illud satis prolixum hominibus placet usque adeo, ut brevi temporis spatio alii bilingues, alii trilingues, alii *πολυλώσοι* facili negotio esse deprehendantur.

## §. VI.

Ne nunc alias in medium protrahamus, Lingua Latina sufficienti dictorum exemplo nobis esse poterit; quae ut olim floruit maxime, sic etiamnum latissime patet. Quam exiguis, Bone Deus! imo vero horridis barbarisque auspiciis, prisca eam, prima aetate, in Italiam invexerunt: Quam arctis deinde cancellis atque limitibus eam ratione humana paulo cultiorem redditam vetus Latium continuit: Usque quo summi Oratores & Eloquentiae Magistri eam magis perpoliuerint, & in isthoc nitoris suavitatisque perduxerint fastigium, quod tantum non  
toto



toto iam celebratur in orbe. Tum carceribus suis erumpens, aetate adulta profectaque, longe distans cum patrio Imperio Regiones pervasit, eamque gloriam consecuta est, ut pro lingua Romanae monarchiae, si qua fuit, diffusorum subditorum, civium, coloniarum, caeterorumque populorum valde familiari, imo vero necessaria & pene universali consueverit haberi. Quid? quod & ipse Musarum plenus & literatus orbis, in hunc usque diem, celeberrimum istud Romanorum idioma, pro communi artium propagandarum medio & lingua eruditorum vernacula proclamare dignatus fuerit.

## §. VII.

Vanus esse viderer, si pluribus eam vel laudibus euehere, vel curiosè perquirere velim, quanto sermonis ille splendor leposque rationis usu & artificio opus habuerit. Sufficit, eam suo se merito & fortius ipsam commendare omnibus. Sufficit experientia quotidiana nos edoceri, quam frequenter quantoque cum applausu, nostra his loquendi formis personent auditoria. Sufficit more iam diu fuisse receptum, ut singulari cura & omni studio in ludis priuatim & publice Latinitatem discere tyrones, nec iniuria teneantur. Qua methodo, quoue successu, viderint illi ipsi, quorum industriae ac prudentiae charissima iuuentutis studiosae ingenia committuntur. Mihimet consultum iugiter visum est, degustatis primum brevioribus Grammaticorum praeceptis, Latinitatem neque facilius, neque rectius puriusve hauriri unquam potuisse, quam ex ipsis linguae Latinae fontibus,



tibus, classicos puta Auctores optimos: quos utique ab aliis valore ac aetate discernere, ut & ipsius linguae originem atque fata cognoscere multum interest. Hinc leuamen operis, Scriptorum notitia, in rem literariam manuductio, in difficilioribus iudicium, in causis subobscuris intellectus, genuini sermonis amor, Eloquentiae studium, facillima Latinitatem & docendi & discendi methodus, & mille commoda deliciaeque prouenient. At quis dubitare potest, haec omnia Tyronibus aequae ac humaniorum literarum Candidatis arridere?

## §. VIII.

Intenderunt, id literis Romanis accendere lumen, grauissimi tum vetustioris, tum recentioris aevi Eloquentiae Patroni: quorum merita monumentis insculpta aere perennioribus regalique situ altioribus pyramidum, neque innumerabilis annorum series, neque fuga temporum diruere potest. Ex antiquioribus primo loco nobis memorandus venit M. T. CICERO patrii sermonis instaurator & omnis Eloquentiae parens, qui passim, cum primis in egregio *de claris Oratoribus* commentario, veterum dicendi scribendique modum & pristinam Latinitatis faciem demonstrare aggreditur. C. IULIUS CAESAR & lingua & armis victricibus insignis scripsit *de Analogia* libros duos ad M. Cicero-  
nem, 1) quibus de Latinitate eiusque historia optime  
B dicitur

1) Vid. SVETONIVS in vita Iul. Caes. cap. 56. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 19. c. 8.



dicitur fuisse meritis: isti quantumvis iniuria temporum interciderint dudum. Auctor dialogi, *an sui seculi oratores antiquis, & quare, concedant*, ille siue QUINTILIANVS, siue TACITVS, cui vulgo tribuitur, siue alius sit aliquis, docte & eleganter de vario dicendi genere disputat, & nonnihil reconditae antiquitatis, luce meridiana clarius in conspectum exponit. M. TERENTIUS VARRO, POMP. FESTVS, M. VERRIVS FLACCVS, NONIVS MARCELLVS, ISIDORVS aliique *m*) origines & etymologiam Latinae linguae pertractarunt, eius haud raro commemorantes fata. In eundem censum venit AVLVVS GELLIVS, qui *noctibus Atticis*, ita miscellanea sua inscripsit, de Romana philologia passim disputat, nobisque veterum quamplurima exhibet monumenta, ipsius maxime studio ab interitu reuocata. Magis huc faciunt scripta eorum, qui recentiori aetate & post restauratam cum aliis artibus Latinitatem, studia elegantiora quaeque ad humanitatem pertinent, quodam quasi communi vinculo & cognatione coniuncta omnia curae cordique habuerunt, ac proinde laudibus efferuntur prope diuinis. Hos inter HADRIANVS CARDINALIS, postea Romanus Pontifex eius nominis Sextus ille, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit, elegantissimo de *Sermone Latino* commentario-

*m*) Hos atque alios *Auctores Latinae linguae* in unum corpus rededit ac euulgavit DIONYSIVS GOTHOFREDVS Genevae 1585. 1595. saepius in 4. Aliud corpus collegit ELIAS PVTSCHIVS. & è MSC. veteribus restituit Hanoviae 1601. in 4. IOH. THOD. BELLOVACVS ex officina Alceniana 1516. in folio. GEORGIUS FABRICIVS Lipsiae 1569. in 8.



## PROGRAMMA.

II

mentariolo, tractatui *de modis Latine loquendi* praemisso, classicum Auctorem in aetate quemque sua satis accurate examinat. n) FRIDERICVS TAVBMANNVS *de lingua Latina* dissertatione obseruationes haud contemnendas cum orbe literato communicauit. o) M. ANTONIVS SABELLICVS insignia quaedam enarrauit in dialago *de Latinae linguae reparatione*. p) OBERTI GIFANII obseruationibus in linguam Latinam scripta quoque annexa haec sunt, *de ratione discendarum linguarum* dissertatio, *de Latinae linguae reparatione* dialogus, *de periodis litterarum & doctrinae* dissertatio, *de quinque actibus Romanae linguae*, item *de periodis linguae Latinae* dissertatio, denique Apologia pro poetis Latinis, in M. A. Plauti aliorumque Poëtarum & linguae Latinae obtretractores. q) Eo spectat porro CHRISTIANVS BECMANNVS Bornensis, tractatu, quem inscripsit *Manuductionem ad Latinam linguam*, alio *de Originibus Latinae linguae*. r) SEBAST. CORRADVS *de Latina lingua* pertractatione satis luculenta, vbi de mutationibus aliisque multa egregia habet. IOHANNES NIES *de ortu & occasu LL. cum eiusdem instaurandae modo*. s) MELCHIOR

B 2

INCHO-

n) Comparet ille, post editiones saepius reperitas, & inter Scriptores de elegantiori Latinitate comparanda, studio & opera RICHARDI KETELII. Viri Cl. selectos, quam nitidissime impressus Amstelodami apud WETSTENIOS. 1713. in 4. o) Witebergae 1602. in 8. p) Neapoli Nemet. 1617. in 8. q) Francofurti 1642. in 8. Sed omnium nitidissime omnia in Cl. KETELII modo laudata collectine reperiuntur. r) Tertium editus est ille tractatus Hanouiae 1619. in 8. Sed lucem, nisi memoria fallunt, primo vidit publicam anno 1614. s) Diltingae 1627. in 12.



INCHOFER Bauarus Iesuita *Sacrae Latinitatis historia*, quam libris VI. absoluit, multa eruditissima & scitu maxime digna proposuit, circa ortum, progressum & mutationes per omnia secula, ad ipsam barbariem usque & recentiora tempora. 1) CAROLVS DV FRESNE praefatione *Glossarii Latini mediæ aevi*, causas coruptae Latinitatis industrie examinat. GERH. IOH. VOSSIUS praefat. operis *de vitis sermonis*, & in ipsis *de Historicis & Poëtis Latinis* commentariis, huius linguae fata, quod dicere solent, acu tangit. OLAVS BORFICHIVS cogitationes *de variis LL. actatibus* euulgavit. v) Et post eum ANDREAS BORRICHIVS *vindicias purioris Latinitatis*. x) CHRISTOPH. HENR. LAVTERBACH Rector Islebiensis programmatibus diuersis de classicorum Auctorum aetatibus egit. IOH. HENR. FLORINVS Professor Herbornensis scripsit orationem *de quatuor LL. seculis*. y) IOH. DANIEL CRAMERVS tunc Hanouiae elegantiorum, postea Seruestae sacrarum literarum Professor de fato linguae Latinae perorauit. z) CHRIST. CELLARIVS idem non vna dissertatione praefertim in illa *de fatis Latinae linguae* a) in proleg. curarum posteriorum *de barbarismo & idiotismo sermonis Latini*, b) quam solidissime pertractauit. DANIEL GEORG. MORHOFIVS *Polyhist. liter.* lib. 4. c. II. seqq. IOH.

1) Monachii 1638. in 8. v) Hafniae 1675. in 4.  
 x) Hafniae 1706. in 8. y) Herbornae 1694. in 4. z) Hanouiae 1694. in 4. a) Prodiit haec dissertatio primum Ha-lae 1701. 4. Deinde CELLARII dissert. Academ. part. 2. studio & cura Cl. WALCHII digni tanto viro discipuli, nunc Professoris Ienensis celeberrimi recusa. b) Ienae 1687. in 12. Saepius impressae & auctae.



IOH. CLERICVS *Artis Criticae* tom. 1. p. 1. cap. 2. CYRIACVS GYNTHERVS *Append. Latinitatis restitutae* part. 1. c) IOH. ALB. FABRICIVS *Bibliotheca Latina*. d) IACOBVS BYRCKHARDVS commentariis *de Latinae linguae in Germania per XVII. Secula amplius factis*. e) IANVS VINCENTIVS GRAVINA ICtus Romanus *dialogo de Latina lingua ad Emanuelem Martinum*, item *de instauratione studiorum & de Sapientia uniuersa orationibus*. f) IACOBVS FACCIOLATVS Philologus Patauinus celeberrimus *Appendice orationis de Latina lingua non ex Grammaticorum libris comparanda*. g) BENIAMIN HEDERICI ab Exordio *notitiae Auctorum antiquae & mediae aetatis*. h) Et nouissime IOH. GEORGIVS WALCHIVS *historia critica Latinae linguae*, i) maxima, uti solet, facundia & exquisitae Eruditionis copia demonstrauit, quicquid circa hanc materiam notari ferme potest ac debet. Neque silentio praetermittendus est Pl. Rev. & celeberrimus IACOB. FRID. REIMANNVS, qui *Introductionem in Historiam vocabulorum linguae Latinae à primo ortu*, per certam annorum seriem adornauit.

B 3

§. IX. Vt.

c) Ienae 1701. in 12. d) Hamburgi 1697. 1708. & 1712. 8. e) Hanouetae 1713. 8. f) Hae cum aliis orationibus & opusculis antea separatim editis, recusae prostant vltima editione *Originum Iuris civilis*, Lipsiae 1717. in 4. à pag. 667. 622. & 647. g) Patavii primum 1713. postea Lipsiae 1715. 4. cura Celeberrimi WALCHII, recusa, qui doctissime de eodem argumento praefatus est. h) Witembergae 1714. 8. i) Lipsiae 1716. 8.



## §. IX.

Vt plurimum certis aetatibus atque periodis Latinam linguam discernere solent. Neque discernunt eam omnes vno eodemque modo. Quidam, vt apud ISIDORUM *k)* legimus, in *Priscam*, *Latinam*, *Romanam* atque *mixtam*. Linguam nominarunt *priscam*, qua vetustissimi Italiae populi sub Iano & Saturno utebantur, incondita vt se habent carmina Saliorum, *l)* scilicet

*Quum neque Musarum scopulos quisquam  
superarat,*

*Nec dicti studiosus erat.*

*Latinam* esse voluerunt, quam sub Latino & Regibus Tusciae caeteri in Latio sunt locuti; ex qua fuerunt XII. Tabulae scriptae. *m)* *Romanam*, quae post Reges exactos in populo Romano viguit, quam Naeuius, Plautus, Ennius, Virgilius Poetae; ex Oratoribus Gracchus, Cicero caeterique effuderunt. Denique *mixtam*, quae post Imperium latius promotum simul cum moribus & hominibus in Romanam ciuitatem irrepfit, integritatemque verbi per soloecismos & barbarismos

---

*k)* Origin. lib. 9. c. 9. *l)* Egregie hic fallitur, Saliorum Carmina referens in primam, quam constituit, LL. periodum. Illa enim, quod alibi notauimus, aetatis longe recentioris fuisse, ab Numa Rege Romanorum secundo instituta. *m)* Nec hoc. Quis enim nescit, XIV. Tabulas, Regibus diu exactis, & Decemuiris Romae iamiam constitutis eo fuisse a Graecis translatas?



barissimos corrumpit. Haec Isidorus. Sed omnia non modo confuso & statu & ordine, verum etiam ad rem non satis distincte proposuit. Hac enim ratione genera potius Latinae linguae, quam species ac diuersas aetates fuisse adnotatas, cum OLAO BORRICHIO *n*) nobis quam maxime videtur.

## §. X.

OBERTVS GEFANIYS, vel quisquis sit auctor Dissertationis de Latinae linguae periodis, *o*) quatuor post Romam conditam facit Doctorum Latinorum tempora: *Antiquissimum*, *Antiquum*, *perfectum*, & *imperfectum*. *Antiquissimum* ab V. C. vsque ad Liuium Andronicum, quod interuallum Io XIV. annorum fuisse M Tullius in Bruto commemorat. *Antiquum* tempus id esse dicit, quod ab ipso Liuiio ad Ciceronis aetatem interfuit, quod vix centum annos, vt ex ipso Cicerone colligitur, excessit. Tempus *perfectum*, Ciceronis aetatem, & *imperfectum*, eam subsequenter vocat.

## §. XI.

Alibi *p*) cum Historicis aetates Latinae linguae istas ab Urbis origine constitutas numerat quinque. *Primum aetatem* fuisse, ait, sub Regibus an. CCXLVI quasi pueritiam Urbis, qua Reges septem fuerint Monarchae.  
*Secundam*

*n*) Cogitationibus de variis LL. aetatibus. *o*) OBERTI GEFANI; obseruationibus Latinae linguae cum aliis haec dissertatio annecti solet. *p*) Dissert. de V. Aetatibus Romanae linguae ibid.



*Secundam aetatem* sub consulari potestate & libera Aristocrazia, h. e. gubernatione Optimatum per años CCCC. LX. quasi Iuuentutem & viridiorum aetatem seu Adolescentiam. *Tertiam aetatem* sub Caesaribus & Imperatoribus: quorum Monarchia legitima durauit a Iulio Caesare vsque ac Valentinianum III. per annos lV. aetatem virilem. *Quartam aetatem* sub Tyrannis & barbaris, qui Romam atque Italiam afflixerunt, miserrimeque vexarunt, per annos CCCLXXV. ad Carolum Magnum vsque senectutem. Ultimo *Quintam aetatem*, quasi decrepitam & confectam sub Pontificibus Romanis & Caesaribus Germanis &c. Accuratius tamen feliciterque deinceps illas LL. aetates in describendis quarumque Scriptoribus notauit. Ita certe nunc è recentioribus plerique q) ad diuersas vitae humanae aetates r) fata & periodos Latinae linguae considerare solent, *pueritia* seu infantia, *Iuuentute* seu Adolescentia, *robore virili* seu aetate adulta, *Senectute* eaque *vegeta* tandemque *inerti*. Eaque methodo vt faciliori magisque rei apposita veteres

---

q) Hic fata LL. per aetates generi humano proprias describendi modus placuit inter alios quoque IULIO SCALIGERO enumeranti aetates Poëseos Latinae. G. I. VOSSIO de Historicis Latinis lib. 1. c. 1. De Poëtis Latinis cap. 1. circ. init. Alibi. FACCIOLATO Parauino Philologo Celeberrimo syntagm. de ortu, interitu ac reparatione Latinae linguae. r) Aetas Medicis quadruplex est, pueritia, iuuentus, *duplex* siue aetas constans & senectus. Vnde HIPPOCRATES lib. 1. Aphorism. sect. 13. *Senes facillime ieiunium ferunt, mox quibus aetas stata est, minus Adolescentes, omnium minime pueri, praesertim qui acriori sunt ingenio.*



veteres utebantur Historici, quando rerum Romanarum originem & incrementa describere instituebant. Ita FLORVS s) *Si quis ergo, inquit, populum Romanum quasi hominem consideret, totamque eius aetatem percenseat, ut coeperit, utque adoleuerit, ut quasi ad quendam Iuuentae florem peruenierit, ut postea velut conseruerit, quatuor gradus processusque eius inueniet &c.* Pari modo LACTANTIUS: t) *Non inscite Seneca v) Romanae Urbis tempora distribuit in aetates. Primam enim dixit infantiam sub Rege Romulo fuisse, à quo & genita & quasi educata sit Roma. Deinde pueritiam sub cæteris Regibus &c.* Quod adeoque Gratippus ille nobilis peripateticus Pompeio M. a clade Pharsalica ad se diuertenti respondit, *fatales esse imperiorum periodos*, id quoque de literis & lingua Latina verissime affirmare licet. Quemadmodum etiam in terrae frugibus & arborum prouentu obseruare possumus, nobis nunc vberimos largiri fructus, nunc rariores, nunc minus suaues, quod, natura interueniente, ager suas colligere vires & quiescere debet; ita res omnino in prouentu ingeniorum & literarum cultura se prorsus habet.

## §. XII.

Alii quatuor faciunt Latinae linguae aetates ab inuicem distinctas, ut differunt inter se metalla, *Auream, Argenteam, Aeneam, Ferream*: quas a Poëtarum  
C fabulis

s) Histor. Rom. prolog. t) Instit. Diuin. lib. 7. c. 15.  
v) Locus ille quadam iniuria temporum interiit, ac hodiernum in nullis SENECAE operibus existat.



fabulis mutuasse videntur. Ita namque HESIODVS confiderans rerum humanarum tempora consulto scribit: x)

Χρῦσεον μὲν πρῶτιςα γέν<sup>⊙</sup> μερόπων ἀνθρώπων  
 Ἀθάνατοι ποίησαν.

*Aureum quidem primum genus diuersiloquentium  
 hominum*

*Dii fecerunt.*

Postea: y)

Δεύτερον αὐτε γέν<sup>⊙</sup> πολὺ χειρότερον μετόπισθεν  
 Ἀργύρεον ποίησαν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.

*Secundum inde genus multo deterius postea  
 Argenteum fecerunt coclestium domorum incolae.*

Rursum: z)

Ζεὺς δὲ πατὴρ τρίτον ἄλλο γέν<sup>⊙</sup> μερόπων ἀνθρώπων  
 Χάλκειον ποίησ', ἐκ ἀργυρῶ ἔδεν ὅμοιον.

*Iupiter verò pater tertium aliud genus hominum  
 Aeneum fecit, omnino Argenteo dissimile.*

Denique: a)

Νῦν γὰρ δὴ γέν<sup>⊙</sup> ἐστὶ σιδήρεον. -- -- --

*Nunc enim genus est ferreum.*

Pari modo OVIDIVS: b)

*Aurea prima sata est aetas, quae, vindice nullo,  
 Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.*

Deinde:

x) HESIOD. Opera & dies v. 109.    y) Ibid. v. 126.  
 z) Ibid. v. 142.    a) Ibid. v. 174.    b) Metamorph. lib. 2.  
 v. 89.



Deinde : c)

*Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,  
Sub Iove mundus erat; subiit argentea proles,  
Auro deterior, fuluo pretiosior aere.*

Porro de reliquis duabus : d)

*Tertia post illas successit aenea proles,  
Saeuior ingenis, Et ad horrida promptior arma,  
Nec scelerata tamen. De duro est ultima Ferro.*

e) His addunt alii *aetatem plumbeam*; alii *luteam* atque *ligneam*. Praemittunt alii Latinitatis aetati aureae *semi-barbaram*, seu mediam inter Barbaram atque auream; alii insuper *barbaram* ipsam & incultam eam aetatem: quas alii alio alioque modo circumscribere solent.

§. XIII.

Nobis prior magis arridet ille fata Latinae linguae in aetatibus humanis considerandi modus, si methodo facillima id agere nunc animus est. Latinitatem proponimus nobis eam in vigore ac puritate, quam Tullii aeuo, nisi me fallunt omnia, perfectam habuit, vel ab vitio quocunque remotam. Latinitatem sistimus nobis non facillantem, non hiulcam aut qualibet Barbarorum incomta voce infectam; sed virginem castam & integram: non aliquo modo lasciuientium pruritu pellectam; sed cautam & circumspectius paulo agentem, prout eam seculo Augusteo versatam fuisse

C 2

compe-

c) Ibid. v. 113. d) Ibid. v. 125. e) Confer. SENECA Hippolyto A. 2. S. 2



comperimus. f) Quoniam vero passibus ambiguis Fortuna volubilis errat: ea vniuersi generis humani conditio, ea rerum vicissitudo est, vt summa tandem imis cedant; contra quae flocci & nihili sunt, temporis successu in altum ferantur ac praeclarum famae & honoris fastigium, praeter spem & opinionem mortaliū, assurgant. Sic omnia huc illuc transferuntur, sua manet quemque lege naturali mutatio & simul parta sperataque decora vnius horae fluxu euersti ac interire possunt. Idem, quod in lingua nostra cumprimis obseruare licet. Facimus hinc illius aetates, quae nunc etiam mortales inter obtinent, varias, totidemque notabiliora linguae interualla, quibus originem, incrementa, perfectionem, decrementa, interitum ac restitutionem, sole meridiano clarius cernere queamus, nouem sectionibus, quicquid illius pertractationis fuerit, comprehensuri.

(I.) Agimus *de origine & quasi natiuitate Latinae linguae*;

(II.) *de*

---

f) Ita videlicet CORNICIUS Rhetor. ad Herennium lib. 4. vbi de ornamentis sermo est, *Latinias, inquit, ea est, quae sermonem purum conseruat ab omni vitio remotum.* MAXIMVS VICTORINVS eam dicit esse incorruptam loquendi obseruationem secundum Romanam linguam. Et S. PROSPER. lib. 3. de vita contempl. cap. vltim. *Ea est, inquit, ni fallor, indicata Latinitas, quae breuiter & aperte, obseruata dumtaxat verborum proprietate, res intelligendas enunciat, non quae vernantis eloqui venustate luxuriat.*



(II.) *de Puëritia*, linguam incultam sub Regibus & senatorio regimine ad vsque bellum Punicum secundum;

(III.) *de Adolescentia* seu iuuenili aetate, inde ad L. Cornelii Syllae tempora & annum V. C. circiter Io CLXX.

(IV.) *de stabili vel adulta* aetate, quam Graeci ἀκμὴν vocant, vsque ad obitum Octauii Augusti Imperatoris, quod temporis spatium Latinae linguae perfectionem ac robur virile continet;

(V.) *de imminente illius senectute* ab Anno Christi XIV. quo diem supremum obiit Augustus, ad excessum Traiani, qui contigit anno CXVII.

(VI.) *de Senectute vegeta*, ab obitu Traiani, ad Honorium Imperatorem & Romam à Gothis expugnatam anno Christi CCCCX.

(VII.) *de Senectute inerte vel decrepita* ad obitum Caroli M.

(VIII.) *de Latinitate decumbente* & quasi in agone versante, ad seculum Christi XV.

(IX.) *de restaurata vel ex orco reuocata Latinitate*, inde ad nostra vsque tempora.

§. XIV.

Primitus Latina lingua, alio licet nomine, Italiam inuecta ab illis, haec ora qui primi salutarunt, Alpibus superatis, Aboriginibus, consono fatis barbaro & alieno crudum puerperium vidit. Mixta breui post Graecis



Graecis institui literis & perpoliri coepit: ante & post Romam conditam, eius durante Pueritia ac infantia ad id tempus, quo Romani secundo bellum Carthaginiensibus inferebant. Qualis tum fuerit dictio, vel ex paucissimis eorum fragmentis, legum, carminum & tabulae Rostratae patet. Paulo curiosior subsequens aetas iuuenilis, quando scriptores maiori & copia & bonarum artium scientia & linguae cura in lucem prodire. Fuit tamen compositio eorum satis adhuc dura, phrasae horridiores, verba item singula minus lecta & saepe ingrata. Sed ἀνὴρ aetas vigens, matura, constans atque florens absolutae doctrinae & elegantiae seculum comprehendit, quo Roma ἀνὰ ζῶσα seu maximo in flore fuit, quando Caesar Augustus imperii fasces tenebat. Omnes tum cepit sanior & castior sermo Latinus. Nec ille diu superavit, quin decursu temporum a vigore suo paulatim declinauerit. Et proxime secuta est παραμῆ, declinans vergensque ad senium aetas, cuius dictio ab elegantia & virtute seculi Ciceroniani aliquomodo deflexit. Neque tamen scriptores habendi sunt pro sordidis nouisque, multa enim retinere orationis optima ex illo, quod praecessit, felicissimo Latinitatis seculo; ut, si quae (sunt autem quamplurima) reperiuntur in illis rectae sermonis & elocutionis formae consentanea, nihilominus sedulo nobis imitanda veneant. Peius sequens, sed pessima reliqua duo secula fuere, quando grauiter decumbente Latinitate, Theologi Scholastici & Philosophi barbari, non modo sermonis natium decus corruperunt, sed  
plane



plane nouum & inauditum orationis genus sibi effinxerunt. Ita cum barbarorum sentina omnis impuritas sordisque omnes in Latinitatem morti coniunctam sepultamque influxerunt, ad vltique laetam *ἀνάσσειν* seu renouationem, cum bonae literae quarto decimo labente, post Christum natum, seculo excitarentur. Ex quo tempore Latinitas quodammodo renata coepit tantas continuo fumere vires, vt iam seculo quinto decimo ad floridam aetatem properare, & proxime sequentibus denuo ad auream illam & perfectam Augusti aetatem accessisse propemodum visa fuerit.

## §. XV.

Duo capita priora *de origine & pueritia Latinae linguae*, dissertationibus mole & doctrina perexiguas, cum orbe literato communicare nuper ausus sum. Quae cum praeter merita etiam ab Eruditissimis Viris & illis elegantiorum literarum amantissimis, non sine applausu, ringantibus g) licet aliis, fuisse accepta, publicis iamiam atque priuatis eorum literis cognouerim: tertiam nunc suauissimae ac perutilis, quam esse nemo dubitat, historiae partem ea, qua coepi, methodo subnectere & non nihil *de Adolescentia Latinae linguae* commentari animum induxi tractatu propediem typis subiiciendo, reliqua D. V. horis subcisiuis parare cogitans. In eo fuero totus quantus, vt paulo fusius linguae fata,

quam

g) Quibus quidem sufficiat in aurem dixisse TERENTIANDUM illud Adelp. A. 1. S. 2.

*Homine imperito nuquam quidquam iniustus;  
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.*



quam haecenus a quoquam factum, B.L. ob oculos ponam, notabiliora literaturae & humanitatis momenta accuratius examinem, obscuriora exemplis non ubique obuiis dilucidem, sua quamque aetate clarius, vt potero, demonstram Latinitatis faciem, eandemque obseruationibus studiose conquisitis pro ingenii modulo inlustrare annitar. Caetera, vt eius linguae habeatur absolutissima historia, eaque in suo genere breuis (Doctissimos enim breuitatem & contractam causae vulgaris pertractationem amare, in hac praesertim materia cernere licet) compensabunt ea, quae haecenus à tot tantisque supra memoratis Reip. literariae luminibus vel sparsim & obiter, vel data opera & instituto valde laudabili ad conspicuas Romanae Eloquentiae studiosorum fructus intentata fuerunt. Lector Beneuole, pro Humanitate Tua, Scriptoris nihil nisi gloriam summi Numinis, elegantiorum literarum studium & assensum tuum desiderantis faue conatibus atque

Vale, Marburgi Cattorum XIII. Kalend. Iun.

cl. l. CCXXII.





m,  
us  
ci-  
m  
o-  
e-  
ra-  
&  
ac  
ac  
ac  
n-  
n-  
e-  
o-  
m  
ue

















Feb 2018

ULB Halle  
001 081 748

3









Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

20

1757.

Ab 2018.

IOH. NICOL. FVNCCII  
MARBURGENSIS

DE

VARIIS  
LATINAE LINGVAE  
AETATIBVS

ATQVE

FATIS

(DEO VOLENTE)

SINGVLIS TRACTATIBVS EXHIBENDIS

PROGRAMMA.



ald.  
23

